(9)

Bernardus Cortus (?) de Limosano canonicus Neocastren. cappellanus criminalium curie reverendissimi in Christo patris et domini domini Bertrandi miseratione divina tituli sancti Marci presbiteri cardinalis Apostolice sedis legati generalis auditor et iudex ac ad infrascripta per prefatum dominum legatum specialiter deputatus universis presentes litteras inspecturis salutem in domino. Pridie de mense Novembris proxime preteriti quintedecime indictionis pro reformatione terre Aquependentis Urbevetan. diocesis prefatus dominus legatus nos personaliter destinavit ubi personaliter existentes pro reformatione ac bono et tranquillo statu eiusdem [illegible] capitula edidimus et promulgavimus ibidem in publico parlamento salvo et reservato nobis arbitrio et potestate in posterum declarandi addendi minuendi et de novo etiam si expediret statuendi que necessaria [illegible] et visa foret expedire pro tranquilliori statu et utilitate terre predicte. Nuper vero pro parte omnium dicte terre fuit dicto domino legato et nobis expositum quod cum ipsa terra habeat duodecim officiales qui habent terram ipsam et commune regere et bona et iura ipsorum terre et communis protegere defensare et manutenere, quotiens propter multitudinem ipsorum cum quasi divisim quilibet in domibus [illegible] habitent non possunt in casibus necessariis et subitis de levi haberi nec congregari simul et sic iura quamplurima ipsius communis pereunt et propterea pluries dampna et incomoda eis eveniunt, propter quod pro parte ipsius terre et communis petitum nobis extitit ut placeret nobis eis concedere virtute dicte commissionis et reservationis et dicto domino supplicantes quod dignaretur annuere et consentire quod loco dictorum duodecim officialium eligere et ponere possint tres vel plures usque ad numerum duodecim prout eis visum fuerit expedire qui simul durante eorum officio pro tempore in una domo simul habitarent et expensis dicte terre et omnium utilitate et comodo eiusdem terre et omnia tractarent et facerent que conspicerent meliora, quorum petitionibus iustis ut potest inclinati de expressa voluntate licentia et mandato dicti domini auctoritate et virtute dicte commissionis et reservationis presentium tenore statuimus et ordinamus quod de cetero post finitum officium duodecim qui presunt modo in dicta terra sint et eligi possint tempore prefinito et ordinato in aliis ordinationibus nostris loco dictorum duodecim tres vel plures officiales usque ad numerum duodenarium prout eidem communi visum fuerit expedire qui debeant simul in una domo morari et stare durante eorum officio expensis communis dicte terre. Declarantes per hoc quod dicti tres vel plures officiales qui pro tempore erunt non habeant maiorem potestatem vigorem iurisdictionem et dominium quam habebant et soliti fuerunt habere duodecim memorati preter alios Romane ecclesie preiudicio illa sola potestate iurisdictione et dominio tantum utantur et uti possint quibus usi fuerunt et uti fuerunt consueti retroactis temporibus et utuntur ad presens duodecim memorati. In quorum omnium testimonium atque fidem presentes patentes litteras seu instrumentum publicum exinde fieri fecimus per manum infrascripti notarii nostri sigillo audientie prefati domini legati inpendentem munimus. Datum et actum in palatio Montisflasconis Balneoregien. diocesis die vicesimoquarto mensis Martii prime indictionis sub anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Clementis divina providentia pape sexti anno sexto, presentibus testibus infrascriptis videlicet domino Philippo Symonelli, Berteromo Neri, Cecarello Meri et Jacobucio Petri Raynerii de dicta terra Aquependentis et fratre Pepone magistri Bonencte de Montesflascone notario.

+ Et ego Nicolaus de Puteo (?) de Castellone Theatine diocesis publicus apostolica auctoritate notarius ac notarius et scriba antedictus et nunc dicti domini auditoris premissis omnibus et singulis presens interfui premissa scripsi et publicavi in hanc publicam formam redegi meumque signum apposui consuetum.

Pet. xx.

35

Privilegium concessum civitati Aquependen-
tis de duodecim consiliariis
eligendis per quos regatur [illegible]
pro vacantibus [illegible]
modo [illegible] Brevis

Privilegium c[ivitatis] Aque [illegible]
[illegible]

ARCHIVIO STORICO ACQUAPENDENTE